

lere conspiunt, hos nimirum asperitate rigidae semper invectio-
 nis premunt, numquam clementer admonent, sed pa-
 storalis mansuetudinis oblii, jure dominationis terrent. Quos
 recte per prophetam divina vox increpat, dicens: vos au-
 tem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Plus
 enim se suo auctore diligent, jactanter erga subditos se
 erigunt, nec quid agere debeant, sed quid valeant atten-
 dent: nil de se subsequenti judicio metuunt, improbe de tem-
 porali potestate gloriantur: libet ut licenter et illicita fa-
 ciant, et subditorum nemo contradicat. Qui ergo et prava
 studet agere, et tamen ad haec vult ceteros tacere, ipse
 sibimet testis est, quia plus veritate se appetit diligi, quam
 contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita vivat,
 ut aliquatenus non delinquit. Ille ergo se ipso amplius ve-
 ritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veri-
 tam parci. Hinc et enim Petrus increpationem Pauli li-
 benter accepit: hinc David correptionem subditi humiliter
 audivit: quia Rectores boni dum privato diligere amore se
 nesciunt, liberae puritatis verbum a subditis obsequium hu-
 militatis credunt. Sed inter haec necesse est, ut cura regi-
 minis tanta moderaminis arte temperetur, quatenus subdi-
 torum mens cum quaedam recte sentire potuerit, sic in
 vocis libertatem prodeat, ut tamen libertas in superbiam
 non erumpat: ne dum fortasse immoderatius linguae eis
 libertas conceditur, vitae ab his humilitas amittatur. Scien-
 dum quoque est quod oporteat, ut Rectores boni placere
 hominibus appetant, sed ut suae aestimationis dulcedine
 proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari de-
 siderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam
 faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris
 introducant. Difficile quippe est, ut quamlibet recta denun-
 tians praedicator qui non diligitur, libenter audiatur. Debet
 ergo qui preeest, et studere se diligi, quatenus possit au-
 diri, et tamen amorem suum pro semetipso non quaerere,